



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 5. Nobis proficua, benefica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

§. V.

*Ascensio Christi nobis proficua,
benefica.*

LEvavit pallium *Elia*. 4. Reg. 2. 13. Elias quidem ascendens, pallium reliquit *Eliaeo*. Iesus autem ascendens gratiarum dona in Discipulos dimisit; quæ non unum Prophetam, sed infinitos *Eliaeos* efficiunt; atque multo, quam ille erat, majores, & illustriores. S. Chrysost. tom. 6. f. 2. in asc. Dom.

Exprobravit incredulitatem eorum. Marci 16. 14. Audis Christum Discipulos increpantem; imò, quod durius sonat, etiam exprobrantem; nec quandoquaque, sed eà horâ, quâ eis corporalem præsentiam subtrahitur, videri poterat magis ab increpatione parcere debuisset. Noli ergo indignari de cætero, si te quoque aliquando Christi Vicarius increpaverit: id enim exhibet, quod ascensus ab eis in cælum suis Christus legitur exhibuisse Discipulis. S. Bern. ferm. 1. in ascens. Dom.

Elevatis manibus benedixit eis. Luc. 24. 50. Nunquid, faciendo signum Crucis super eos, benedixit eis? Benedicere, est bona imprecari; dicere autem Dei semper efficax est; ergo & benedicere. An usus sit signò S. Crucis, tacet Evangelium: hoc tamen certum, antiquissimam consuetudinem per signum Crucis Ecclesiam retinuisse in usu publico à temporibus Apostolorum. Quare verisimile est; Apostolos eam didicisse à Magistro suo, maxime post triumphum victoriæ per agonem Crucis: ad declarandum; Deum Patrem nos benedicere omni benedictione in coelestibus per triumphum Crucis. Diez ascensio Domini.

Dedit dona hominibus. Ephes. 4. 8. Quod ait, dedit dona hominibus, hoc Victoris inigne est: post triumphum enim victor semper dona largitur; & proprio regnò residens servulorum gaudia muneratur. S. Maximus hom. 2. in solenn. Pent.

Christi ascensio nostra provectio est; & quod præcessit gloria capitis, eò vocatur spes & corporis. S. Leo f. 1. de asc. Dom.

Sicut nubes ascendit, ut postmodum pluatur sic Christus, ut dona sua mittat. S. Bonav. de dono intellect. f. 3.

Christus retardavit suam ascensionem propter consolationem Discipulorum suorum: consolationes enim divinæ semper superabundant tribulationibus nostris. Sed tempus Passionis fuit tempus tribulationis Apostolorum; tempus autem, quod fuit inter Resurrectionem, & ascensionem, fuit tempus consolationis eorum. S. Bernardinus Sen. 1. 3. ferm. 2. in ascens. Dom.

§. VI.

Ascensionis festum.

Consummatio est, & adimpletio reliquarum solennitatum, & felix clausula totius itinerarii Filii Dei. S. Bern. f. 2. in asc. Dom.

B. Theodorus Studita ferm. 7. de ascens. D. festum imminet festorum.

Hinc est, quod tempore ascensionis vexilla, triumphum Christi significantia, in eminentiori loco Ecclesiæ, tanquam in arcu triumphali sublimamus. B. Jvo ferm. in Purif. B. Virg.

Domestici Ecclesiæ dicuntur vestiti duplicibus, id est, mutatoris: sicut mulieres nobiles in profectis diebus induuntur communibus vestimentis, in festis induuntur pretiosis. Sic, & nos; pro varietate solennitatum; debemus assumere congrua vestimenta. V. g. in nativitate Domini, pro congruentia solennitatis, debemus indui veste humilitatis: parvulus enim natus est nobis &c. In Passione ejusdem debemus indui veste luctus, & disciplinæ. In Resurrectione veste gaudii, & exultationis. In ascensione veste spei, & amoris; juxta illud: *si diligeretis me &c.* Joan. 14. 1. Hugo Card. in Prov. 31.

TITULUS XXVI. AVARITIA.

§. I.

*Figuræ.**Ex Veteri.*

Tria ponit Moyses. Gen. 1. 24. *reptile, bestias, jumenta*; per quæ significatur illa tria 1. Jo. 2. 16. *omne, quod est in mundo est*. Hæc tria de terra oriuntur: quia de amore terrænotum universa malitia ortum habet. Per reptile significantur cupidi (seu avari) qui circa terrâ reptant; per jumenta luxuriosi; per bestias superbi. Hugo Card. hic.

Terram comedes. Gen. 3. 14. serpens significat avarum: serpentis cibus terra. S. Vinc. Ferr. l. 2. Dom. infra. Oâ. Epiph.

Fratres vendiderunt Joseph *Ismaelitis* 20. *argenteis*. Gen. 37. 28. Mox admissa avaritia: tulerunt tunicam ejus, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt. Hanc cum missam agnovisset pater, ait: *sera pissima* comedit eum. S. Chrys. f. 29. sic avaritia siccat mentes, sic corda depressit, sic, quod in eis fuerat humani sensus, ferinam in rabiem commutavit: ut non offensam Dei, non sancti patris dolorem, non proprii sanguinis sensum, meminisse permiserit. Intuere, quid aurò gravius; quod cum mores hominum perdit, perdit & naturam. Verè bestia devoravit Joseph. Estobar t. 1. mir. Chr. 1. 2. obl. 5.

Qui, plus quam permissum erat, manna colligebant. Ex. 16. 20. *hinc manna*, sed, verum plus, & putredinis, referebant. Idem

R 3

avaris